ADUMBRATIO PHTHISEOS HEPATICAE PATHOLOGICA,

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VI. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ERNEST. FRID. LEOPOLD. SIBER
PRITZWALKIENSIS PRIGNITIUS.

OPPONENTIBUS
EDUARDO ECKARD MED. STUD.
GUILELMO OTTO MED. DD.
SAMUEL JOEL MED. DD.

BEROLINI
FORMIS BRUESCHCKIANIS.



CAROLO
GUILELMO et JOANNI
FRATRIBUS
CARISSIMIS AC LONGE DILECTISSIMIS

HAS LITTERARUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

Rerum quae a ratione humana observari possunt, tanta est copia, ut in seligendis iis, quae dignitate et pulchritudine reliquas vincant, praecipuum cuiusvis studium versari debeat. Habent enim multae, quae omni dignitate carent speciem quandam utilitatis, qua mentes hebetiores facile decipiuntur; aliae sola arte vel doctrina maxime constant, unde discentium ardori imprimis sufficere posse videntur; paucae vero, quae utilia cum dulcibus arctissime iungunt, reperiuntur. Quarum quamvis omnium praestantissimam esse universam naturam facile appareat, illius tamen ambitus tantus est, ut nemo mortalis vel numerum rerum, quas ea complectitur, eloqui queat. Necesse igitur est, ut ex tanta multitudine quisque hoc sibi sumat, quod ipsi potissimum convenire doctrinae studio maximeque scientiae nitore excellere, praecipue vero dignitatis atque utilitatis laude florere videtur. Ego vero felicissime mecum actum esse existimo, cum studia mea ad id haud dubie pertineant quod in omni rerum natura imprimis memorabile animadverti potest: hominem ipsum. Quid enim homine praestantius, quid

artificiosius, quid investigatione dignius; quid pulchritudine excellentius, quid studio ct docto, et utili homine ipso intra fines mundi aptius? Ad hunc autem cognoscendum conservandumque illa, cui me addixi ars praecipue vel unice spectat; hunc considerat, huius vitam obscrvat, huius mortem, huius cunctas actiones animales usque ad earum origines persequitur, huius et externa et interna membra flagrantissimo studio perscrutatur, quo facilius sana conservare, laesa ad sanitatem rcducere possit. Externa vero aspicere cuiusvis est, interiora spectare, quaeque natura ipsa in obscuro ponere oculisque subtrahere voluit, contemplari, eorum vel summam harmoniam animadvertere vel singulas totius operis partes expendere, cuiuslibet partis et singularem figuram, structuram sedem actionem considerare et generalem cum ceteris membris cohaerentiam eiusque ad totam ut ita dicam machinam vel movendam vel conservandam effectum perspicere hoc, hoc, inquam medici unius esse potest. Et quantum, quacso, illud negotium erit, quanti laboris, quam diuturni tcmporis, quantae sagacitatis! admirabile enim universum opus, infinitus omnium partium numerus, artificiosissima cuiuscunque conditio et quam multo magis laudare quam penetrare vel doctissimis quibusvis liceat. Et cum iam ea, quando arctissimis et ordinis et similitudiuis vinculis continentur legibusquae naturae plane respondcnt, tamen sine maxima difficultate cognosci nequeant; quid dicam de varietate, quid de illa, quae etiam quam saepissime reperitur diversitate, quid de rebus laedentibus, quid de laesis, quid de morbis,

quid de morborum remediis quorum omnium scientiam medico summo studio sibi acquisiverit necesse est. Equidem hoc in loco, artis medicae summam vel complecti vel tantum cursim adumbrare neque aptum neque mihi effectu facile iudico; multo melius haud dubie egero, si ex tam late patente campo unum modo flosculum decerpserim, ne eo honore in quem adspirare ausus sum plane habear indignus. De hepate enim, viscere ad bonam valetudinem imo ad vitam ipsam conservandam sane non ultimo loquar; neque vero integrum eius statum medicis omnibus satis cognitum describere mihi in animo est, modo de laeso quae laesio causis multifariis effecta nomine phthisis hepaticae insignitur doctorum hominum facilitati, lectorum omnium benevolentiae quaedam hic a me proponentur.

Hepar digestionis et assimilationis perficiendae quae res summe necessariis adnumerari debent, causa inter ea viscera, quae abdomine continentur unum praestantissimorum aestimandum est. In hoc fel secernitur, quod per ductum choledochum in duodenum manat, chymoque admixtum veram praecipitationem huius efficit, dum ex chymo partim substantiam ad corpus nutriendum necessariam secernit, partim cum minus utiliori chymi parte, per alvum eliminatur. Merito igitur coniiciendum est, fel duplicem habere usum neque solum chymi separationem efficere, sed etiam corpus ab noxia materia liberare. Blumenbachius: 1) Simul autem, inquit bilis ipsa in binas par-

1) Blumenbach instit. physiol. p. 302.

tes secedit, serosam alteram, alteram resinosam; haec faecibus adhaerens aeque tingens cum iisdem excernitur, altera vero, ni graviter fallimur, chylo admixta ad sanguinem redit. Eiusdem opinionis sunt Platnerus 2) Goldvitzius 3) et Prochasca 4). Qua ex re apparet, quantam utilitatem hepar in corpore humano habeat et quam multae corporis perturbationes, si eius functio laesa est, oriri debeant. Permulti morbi ex hepate pogrediuntur, ita ut Stahlius in suo libro de vena portarum hepar ipsum originem multorum malorum nominaverit. Minime vero in animo mihi est, cuncta hepatis mala vel enumerare vel describere, de illo tantummodo pauca disserere conabor quod a medicis phthisis hepatica appellatur quodque inter huius visceris morbos suo iure vel periculosissimum aestimandum est. Quamvis autem hanc aliquoties observaverim, tamen a me nihil novi adiici poterit, quod non iam diu a multis auctoribus perscriptum sit; ideoque ii, qui hancce dissertatiunculam legant, eamque parum utilem doctamue iudicent, a me rogandi sunt, ut mihi indulgeant, nec severiori illam subiiciant iudicio.

Definitio.

Nomine phthisis ille morbus designatur, qui aut e suppuratione aut exulceratione aut nimia pituitae aliusque fluidi excretione aut alicuius organi destru-

---

1) Platner quaestiones physiol. p. 97.

2) Goldwitz Physiologie der Galle S. 197.

3) Prochasca Physiologie B. 2. S. 163.

ctione originem trahit, qua corporis nutritio cum materiae consumtione non convenienter efficitur, quam ob rem corpus emacrescit, sensim sensimque quasi flamma, cui nutrimentum deest exstinguitur. Cum hoc morbo si non in primo, certissime tamen secundo stadio febris hectica coniuncta est, quae semper adparet, si corpus aliqua de causa non alitur.

Phthisis hepatica igitur ille morbus est qui hepatis suppuratione aut exulceratione post hepatis inflammationem orta, nititur, 1) propriaque symptomata nec minus febrim hecticam comitem habet, quae febris tamen secundum aegroti sensibilitatem differt, nam saepe in magna puris copia, mitior, itemque minori quantitate existente vehementior animadvertitur. Haud raro fit, ut hepatis ulcera multos annos sine insigni corporis commutatione perseverent, saepeque magnae ex hepatis exulceratione destructiones observatae sunt, quamvis in homine cum adhuc inter vivos esset, symptomata febris hecticae mitiora fuerint 2). Itaque mihi febris hectica non solum a maiori aut minori irritante puris indole, sed etiam a sensibilitate aegroti supra nominata pendere, eaque febris nonnisi naturae ipsius, hanc corpus male irritantem materiam ex eodem eiicere molientis effectus esse videtur, licet etiam dubitari non possit, febrim ex iactura fluidi

---

1) Burserius de Kanilfeld. Inst. medic. practic. Vol. IV. p. 46.

2) Conradi Patholog. u. Therapie B. 2. S. 447. Richters Anfangsgründe der Wundarzneikunde. Bd. 1. S. 41.

lymphatici, ex debilitate tam sanguinis quam solidarum partium vitalitate et hoc modo minuta corporis reproductione oriri.

Hepatitis.

Liceat mihi, cum phthisis hepatica plerumque ex hepatis aut acuta aut chronica inflammatione oriatur, hanc breviter describere. Hepatitis nostris in regionibus sporadica, in calidioribus epidemica et crebrior quam apud nos animadvertitur 1). Falso tamen apud nos rara esse putatur, id quod partim a difficultate cognoscendae hepatitidis occultae partim inde quod cum febri biliosa confunditur, dependere videtur 2). Sedes huius inflammationis non semper eadem est, cum modo in convexa, modo in concava parte, modo in parenchymate, modo in superficie hepatis versetur. Quamvis tamen omnia hepatitidis symptomata in variis suis sedibus perpetuo fere eadem sint, tamen doloris vehementia aliorumque symptomata, in convexa an concava hepatis parte inflammationis sedes sit. Manifestae inflammationes sedem in superficie habent, contra chronicae occultaeque maxime in profundiori substantiae parte, quae etiam in durationem aut exulcerationem hepatis transire solent. 3)

---

1) Andreas Murray Commentat. de hepatitide maxime Indiae orientalis.

2) van Swieten Comment. Tom III. §. 914. p. 81. Frid. Hoffmann oper. omn. T. II. p. 143.

3) Sprengels Pathologie, 2 Th. §. 308. S. 353. Mennings neue Entd. in der Ausübung d. Arzneikunst. B. 1. S. 295.

Symptomata hepatitidis.

Dolor in hypochondrio maxime in dextro, sub costis spuriis, modo continenter pungens, modo tensivus, modo obtusior modo profundior atque ad pectus, humerum iugulumque dextri corporis lateris pertinens. Hippocrates 1) iam ipse dicit: dolor ipse acutus ad hepar incidit et sub postremas costas et ad humerum et ad iugulum detinet. Hic dolor praecipue inspiratione augetur nec minus tactu manuum, saepe etiam cum eo torpor dextrae manus suraeque cuius iam Celsus 2) mentionem facit, dicens: dextra parte sub praecordiis vehemens dolor est; idemque ad latus dextrum et ad iugulum humerumque partis eiusdem pervenit: nonnunquam manus quoque dextra torpet. Qua ratione autem ille ad humerum, iugulumque tendens dolor, quod pertinet ad causas unde oritur, definiendus sit, haud facile est intellectu. Opiniones de hac re inter medicos conceptae praecipue duae sunt, quarum una dolorem hunc peculiarem tensioni diaphragmatis adscribit. Dum enim hepar inflammatum pondere suo diaphragma cui adligatum est, deorsum trahit etiam pleura costas succingens et diaphragma obducens tenditur et dolor usque ad iugulum propagatur. Sin autem consideramus, illum dolorem interdum in hepatitide etiam suram manumque dextram

---

1) Hipp. de internis affectionibus. c. 29.

2) Celsus de re medica. Tom. IV. cap. VIII. Reil Fieberlehre. B. 2. S. 633.

afficere, satius mihi esse videtur, eorum qui tensionibus quibusdam illum dolorem attribuunt, opinionem negligere, cum partes quae una tali modo adfectantur arctioribus vinculis inter se connexae esse non videantur, sed potius illorum iudicium amplecti, qui dolorem ex quodam consensu interpretandum esse censent. Praeter hunc peculiarem dolorem torporemque etiam animadvertimus magnam sensibilitatem, pulsationem, tensionem et tumorem regionis hypochondriacae et epigastricae 1). Alvus plerumque adstricta est et si quid excernitur, tamen albidi caloris est ob fellis impeditam tam secretionem quam excretionem. Haud raro etiam diarrhoea aut serosa aut biliosa aut sanguinea observatur. Urina raro excreta flavido colore ac sedimento lateritio remanente est et nonnunquam linteum inditum rubiginc tingit 2). Sapor est amarus, lingua obducta, nausea, propensio vomendi, ructus amarus, sitis inexplebilis, singultus, cardialgia, vomitus plerumque biliosus, qui interdum etiam in stadio hepatitidis ultimo cum sanguine mixtus est 3). Cum bilis neque secerni neque excerni possit, plerumque color corporis ictericus observatur potissimumque oris canthi nec minus scleroticae coniunctiva hoc colore tincti sunt. Cubitus ad sinistrum latus aegroto molestus est, ideoque dextrum tantum ad latus cubare

---

1) Bianchi historia hepat. Tom. II. c. V. p. 129. Reils Fieberlehre. B. 2. S. 644.

2) Vogels Handbuch der practischen Arzneiwissensch. 4 Th. S. 348.

3) Schmalz Diagnostik. S. 120.

potest, quoniam ad sinistrum cubanti dolores, tussis angorque crescant. Saepe etiam ad utrumque latus decubitus molestus est, et tunc aegrotus tantum supinus cubare potest. Respiratio est brevis, anxia, difficilis, gemitui similis et interrupta; aegrotus praecipue sinistro pulmone inspirat 4). Inspiratione autem facilius quam exspiratione aegrotus perfungi potest, nam diaphragma in inspiratione propter pulmonum expansionem tumescens hepar premit, quod in exspiratione dum pressio cessat, non fit. Tussis plerumque sicca, profunda, brevis, sonora est. 1) Propter sanguinis in systemate portarum stagnationem saepe haemorrhoides oriuntur. Febris remittens aut continens est a vehementiori frigore incipiens, paulatim vero in viscerum abdominis ardorem qui coniunctus est cum molestissima siti transiens 2). Pulsus parvus et durus, interdum etiam parvus et mollis est; 3) febris autem et sitis eo vehementiores sunt, quo magis inflammatio aut se expandit aut complicata est. Praeterea propter impeditum sanguinis circuitum affectionem systematis nervosi, pressionemque, tumescente hepate vicinis partibus illlatam multae aliae molestiae existunt. Aegrotus magna anxietate, inquietudine, vigilia laborat, quae si maiori vi aegrotum invadunt, maximam corporis debilitatem animique deliquia efficiunt, quae omnia

1) Vogels Handbuch der pr. A. Th. 4. S. 348.
2) Bianchi hist. hepat. p. II. p. 150.
3) Richters Therapie. B. I. S. 522.
4) Celsus de re medica. T. IV. cap. VIII.

tremore totius corporis, animi demissione, oculorum languore se manifestant. Vicinae hepatis partes comprimuntur e sedibus naturalibus urgentur, unde multae perturbationes oriuntur et hoc modo spatium praesertim dextri pulmonis minuitur. 4)

Hepatitis chronica.

Haec aut inflammationem hepatis acutam praegressam sequitur aut e vitio quodam organico hepatis oritur.

Symptomata haec sunt.

Si cepit ex hepatitide acuta suam originem, animadvertimus symptomata praegressae inflammationis acutae haud ex toto remisisse et quamvis omnia, quae inflammationem acutam adesse testantur evanuerint, tamen etiam hepatis topicum malum non deesse. In illa autem inflammatione chronica, quae ex vitio organico hepatis oritur, impedita concoctio lingua albido integumento obducta, adpetitus ciborum incertus, in ore amaritudo, cardialgia, flatus, propensio vomendi et interdum vomitus biliosus et cruentus alvus adstricta eiusque excrementa albidi coloris plerumque animadvertere licet. Dolor praecipue si aegrotus inspirat fortis, aut tussit aeger aut manibus hepar premit, illeque obtasus magis pruemens est. Sequente autem tempore pungentior fit et ad dextram scapu-

4) van Swieten. Comment. T. III. §. 918. p. 93.

lam propagatur. Hepar interdum tumescit, ita ut cetera viscera ex naturalibus sedibus exprimat. Cubitus ad sinistrum latus dolorificus est; facies aegroti icterica squalido colore obducta, ocŭli languidi turbidique sunt. Respiratio difficilis, tussis profunda et sonora. Secretio urinae minuta ipsaque rubidi turbidique coloris est, saepeque biliosae oleosaeque indolis. Febris mitior remittens cum pulsu molli interdum intermittente 1). Hic hepatitidis status saepe ignoratur et cum aliis chronicis morbis, ut cum dyspepsia, dysenteria chronica confunditur.

Variae hepatitidis sedes.

Secundum hepatitidis sedes etiam symptomata varia sunt, nam alia in concava, alia in convexa hepatis parte, denique si profundiori hepatis loco inflammatio inest, rursum alia symptomata a multis medicis animadversa sunt. Notandum autem est, fines inflammationis non ubique strictissime indicari posse, cum inflammatio non semper in prima affecta parte hepatis maneat, sed crebrius se extendat et maius spatium comprehendat. Tamen eiusmodi symptomata nunquam desunt, quae ex parte inflammationis sedem indicare possunt.

Si hepatitis in convexa hepatis parte versetur, symptomata omnia ad partes thoracis attinentia graviora sunt quam ad intestina et ventriculum; dolores

---

1) Horns Archiv für medizinisch. Erfahrung. 1817. 1 Bd. p. 469.

vehementiores acutioresque praecipue in inspiratione augescentes ad humerum adscendunt et se cum pleura communicant, ideoque pleuriticis haud dissimiles aegrotum invadunt 1) Tussis brevis et sicca est, decubitus tam ad sinistrum quam ad dextrum latus cum doloribus coniunctus esse solet, ita ut aegrotus cogatur supinus cubare 2) Plerumque habitus ictericus sicut omnia icteri symptomata desunt. 3) Hoc modo hepatitis facillime cum pleuritide confundi potest; sciendum autem est: regionem hypochondriacam dextram tumescere, doloremque primum ex hepate ipso exire et ut Fridericus Hoffmannus 4) commemorat: in hepatitide autem dolor magis sentitur circa spurias costas, qui ad cordis usque scrobiculum cum febre, praecordiorum anxietate et quandoque vomitu atque singultu sese explicat; et beatus Reil in Pneumonia et pleuritide, ait, propagationem doloris ad dextrum humerum et claviculam deesse. Praeterea etiam omnia symptomata quae testantur pleuritidem adesse, magis quam in hepatitide aegrotum torquent, dolores sunt vehementiores cum punctionis sensu coniuncti, respiratio difficilior, tussis vehementior molestiorque animadvertitur, praetereaque nulla coloris faciei aut cor-

---

1) Frank de curandis homin. morb. epit. Tom. II. p. 269.
Sennerti operum tomus III. p. 541.

2) Vogels Handbuch d. pr. A. Th. 4. S. 348.

3) Schmalz Diagnostik. S. 120.

4) Fr. Hoffmann opera omnia p. 144.

5) Reils Fieberlehre. B. 2. S. 644.

poris fit mutatio. Qui plus de hac re legere vult adeat 1) Andr. M. Multa alia sunt symptomata si hepatidis sedes in concava parte est: nam propter vicinitatem cistidis felleae omnia illa ex perturbata functione hepatis derivanda symptomata reperiuntur. Dolores sunt magis prementes, tendentes anxietatemque inducentes; in leni inspiratione non tussis sed dolor augetur; aeger cibi fastidio nauseaque corripitur, evomit interdum biliosam materiam laboratque plerumque alvo adstricta et tarda.

A Gastritide autem facultate cibos in stomacho retinendi, leniori in regione epigastrica dolore defectuque continui vomitus dignoscitur. In gastritide etiam tussis et dolor ad summum humerum se extendens deficiunt; in regione ventriculi dolor et aestus acutiores sunt.

Si parenchyma ipsum inflammatum est, dolorem mitiorem, obtusum et prementem; anxietatem, pulsationem in regionem epigastrica, febrim et ardorem vehementem observamus; saepe animi deliquia accedunt et aegrotus icterici habitum prae se fert.

Hepatidis causae.

Causae quae in hepate inflammationem inducunt in duo genera distribui possunt, in praedisponentes et occasionales.

Pertinent ad praedisponentes: temperamentum melancholicum et cholericum, affectio hypochondriaca,

---

1) Andreas Murray commentatio de hepatitide maxime Ind. orient S. 15. 16.
Sennerti operum tomus III, p. 541.

propensio ad iram, aetas media, ubi praecipue homines inflammatione hepatis laborant, qua iuvenilis et summa aetas magis vacua esse solet.

Ad causas occasionales annumerantur.

1. Illae generales causae quae perpetuo inflammationem procreare solent. 1)

2. Omnes iniuriae hepar ictu, plaga, puncto, contusione, lapsuque offendentes, quae circulationem velociorem reddunt et inflammationem, quum sanguis hepar versus deducatur, pariunt 2)

3. Steatomata et scirrhus de quibus multa et varia exempla enumerantur 3)

4. Violentus et summo cum nisu factus vomitus 4)

4. Congestiones sanguinis ad hepar ex haemorrhoidibus, catameniis aliisque, consvetis haemorrhagiis suppressis ortae, qua ex re systema portarum magna sanguinis copia completur et hoc modo hepar incenditur.

6. Calculi in vesica fellea nec minus in hepate ipso 5)

---

1) Peter Frank epit. de cur. hom. morb. Tom. I. p. 86.

2) Tulpius observat. med. Tom. II. cap. XXVI. Schenk observat. med. Lib. III. obs. 38-44. Bianchi histor. hepat. Tom. III. p. 447.

3) van Swieten Comment. Tom. III. p. 88. Morgagni epistol. XXX. Art. XIV. Menning Neue Entd in in der Ausübung der Arzeneikunde B. I. S. 288. Bianchi histor. hep. Tom. II. p. 153.

4) van Swieten Comment Tom. III. p. 91.

5) van Swieten Comment. Tom. III. p. 86. Schenk obs. med. Lib. III. obs. 36. p. 762.

7. Bilis acris, cuius integer status saepe corrumpitur et acescit si continuus aestus tempestatis et anni temporum vicissitudines sunt qua hepar irritatur inflammatioque gignitur 1).

8. Refrigerium corporis praecipue autem potio frigida ferventi corpori ingesta, nec minus omne frigus calefacto corpori hepatisque regioni subito applicatum 2).

9. Vermes ex intestinis ad hepar devecti, hydatides et obstructiones in hepate sitae. 3)

10. Potiones spirituosae abundatur sumtae de quibus Fridericus Hoffmannus dicit: propterea eidem quam maxime obnoxii sunt qui arthriticis et rheumaticis passionibus alias patent, qui potibus spirituosis ac irae indulgeant, quibus suetae sanguinis evacuationes suppressae, nec non qui diarrhoeam potu largiori spiritus vini exhibuerint. 4)

Retropulsiones arthriticae, rheumaticae, scabiosae scrofulosae, erysipelatosae, metastaticae, alteriusque acrioris materiae. 5)

---

1) Haller elementa physiologica T. VI. Lib. 33. Sect. 3. §. 9.

2) Schenk observat. med. Lib. III. obs. 22. p. 757. Richters chir. Biblioth. B. 5. S. 652. Vogels Htndbuch der. pr. A. Th. 4. S. 360.

3) Bianchi hist. hepat. Tom. II. p. 192. Schenk observat. med. Liba. III. obs. 53 p. 762.

4) Frideric. Hoffmanni opera omn. T. II. p. 144. Sprengels Patholog. A. II. S 37.

5) van Swieten Comment. Tom. II. §. 341. Frank epitome. Tom. II. p. 274.

12. Venena acria assumta. 1)

13. Gravia capiti inflicta vulnera de quibus mentionem faciunt. 2)

14. Inflammationes vicinarum hepatis partium ut diaphragmitis, gastrisis, enteritis, pleuritis et aliae.

Quum hepar connexionis causa cum multis corporis partibus coniunctum sit, etiam multae causae illud morbosum per consensum reddere possunt, exempli gratia omnes animi affectiones nausea, ira, indignationes, moestitia et metus, quam ob rem in hominibus stomachosis hunc morbum saepe animadvertimus.

Hepatitidis exitus.

Primus hepatitidis, exitus simul felicissimus aestimandus, est is qui per resolutionem fit, in quam hepatis inflammatio transire solet si eius symptomata non gravia neque cum malignitate coniuncta sunt, eaque a medico recto tempore agnoscitur et succurritur. Tum existunt crises, quibus aegrotus levatur morbusque sensim sensimque evanescit. Quales crises sunt modo sudor universi corporis, magna urinae crassae copia subrubidi coloris et cum sedimento copioso, modo haemorrhagia ex naribus, vomitus biliosus aut alvus large soluta, modo comparens ad exteriora erysipelas,

1) van Swieten Comm. Tom. III. p. 86.

2) Bianchi hist. hep. Tom. II. p. 147.
Richters Anfangsgründe der Wundarzeneikunst B. II. §. 221 — 222.
Fielitz in Richters chir. B. VIII S. 537.
Richters chirurg. Biblioth. B. V. S. 654.

modo exanthema scabiosum, quod cum pruritu magno coniunctum esse solet. 1) Imo Petrus Frank 2) hepatitidis resolutionem per pemphigum rarissississimam a se repertam esse narrat et alius huic non dissimilis casus legitur apud Hufeland 3) ubi per miliaria hepatitis iudicabatur. Saepe etiam, praecipue si pulmo simul cum hepate afficitur sputa subflava critica habere licet.

Secundus exitus est coalitus hepatis cum vicinis partibus e quo etiam multa in abdomine vitia oriuntur Ipse observavi feminam post praegressam hepatitidem vomitu diu laborantem, cuius sinister hepatis lobus plane in posteriori margine usque ad hypochondrium sinistrum cum peritonaeo coalitus erat, ita ut sinister hepatis lobus, qui praeterea permagnus erat paene se ad sinistrum corporis latus porrigeret et hoc modo regionem hypochondrii sinistri compleret; ita tamquam velum supra stomachum tensum hunc perpetuo premebat et causam vomitus chronici efficiebat.

Qui plura etiam coalitus hepatis cum vicinis partibus exempla legere velit, haec inveniet apud Bleuland aliosque 4) Cum hic hepatitidis exitus animadvertitur, facile etiam hydatides oriri possunt, quae aut in

1) Sprenpels Pathalogie B. 2. S, 362.
2) Epitome de cur. h. m. Tom. III p. 266.
3) Hufeland. Iournal de pr. Arz. B. XII. S. 215.
4) Bleuland tractatus de difficili aut impedito alimentorum ex ventriculo in duodenum progressu Cap. 19 §. 14 - 16 Mongagni epistol. XVII. 6. Kaldschmidt in Hallers diss. pract. Vol. VI. p. 396.

hepatis substantia aut in eius superficie, propriis membranis tamquam saccis circumcluse reperiuntur 1)

Tertius hepatitidis exitus ille in scirrhum est cuius exitus multa exempla apud Sennertum 2) leguntur. Hinc hepar in durationem transit quae aut denuo inflammatur aut perpetuam cardialgiam, insanabilem icterum aut hydropem inducit 3). Cognoscitur a sensu gravitatis in regione hypochondriaca, febris absentia; tumor in hac regione durus percipitur, praesertim si aegrotus vel erectus manet vel in latus sinistrum decumbit. Corpus colorem ex squalido viridem pallidumque portendit.

Quartus hepatitidis exitus in gangraenam est. Omnes dolores subito desinunt, pulsus celer, intermittens debilis est, halitus pessimum foetorem spargit, corporis extremitates frigent, quibuscum summa totius corporis debilitas, respiratio difficilior, denique singultus, alvus soluta aut vomitus modo cruenti modo viridis modo subnigri nec minus valde foetidi humoris quem convulsiones et tendinum subsultus excipiunt, coniuncta sunt. Paulo post autem facies Hippocratica ani-

1) Sprengels Pathalogie B. II. p. 365.

2) Sennerti operum tom. III. p. 543. Bianchi historia hep. Lib. II. p. 157

3) Sprengels Pathologie B. 2. p. 370. Hufeland Iourn. d. pr. A. B. 8. p. 116. Bianchi. his. hepat Tom III. p, 326. van Swieten Comment B. III §. 946. p. 117 — 118-

mique deliquia animadvertuntur et aegrotus nimia debilitate diem supremum obit.

Quintus hepatitidis exitus est in 'suppurationem. Cognoscitur ex vehementiori inflammatione, huiusque abitu, ex sequentibus suppurationis saepeque etiam ex topicis abscessus signis. Itaque suppuratio nunquam morbus primarius et periculosior quia simul laesionem functionis structuraeque hepatis efficit. Inveniuntur quidem interdum abscessus in hepate etiamsi antea hepatitidis signa non animadversa sint, accidere enim poterat, ut hepatitidis chronicae symptomata occultiora et tenuiora essent; quam quae ab aegroto sentirentur, aut quae ab aegroti partim ut dixi ob horam signorum lenitatem, partim propter naturae habitum indolentem et phlegmaticum percipi nequirent, aut quae tandem ab eodem cum aliis viscerum doloribus, exempli gratia cum gastrodynia, colica etc confunderentur 1).

Signa hepatitidis in suppurationem transeuntis.

Symptomata hepatitidis quidem mitescunt, signa resolutionis autem desunt neque aeger illo magno et iucundo levamine, quod ipsi in resolutione occurrere solet

---

1) Cullen Anfangsgründe der pract. Aryneiwissenschaft Tom. I. p. 245.
Bianchi historia hepatica Tom I. p. 147. van Swi-ten Tom. III. §. 929. p. 104.

gaudet; febris adhuc vehemens sensim sensimque desinit, tantumque status febrilis remanet; paulo post horripilationes quae e regione hepatis suam originem capiunt, oriuntur totumque corpus circumvagentes invadunt. Loco vehementioris urentisque doloris qui ex toto cedit, in dextro hypochondrio ponderis sive gravitatis sensus quidam repetitus percipitur 1)

Alvus propensa ad obstructionem est flatusque oriuntur; aegrotus ictericum habitum non amittit quum bilis secretio et excretio perpetuum perturbatae sunt et hoc modo bilis fortasse per metastasin in cute secernitur.

Signa manifestae suppurationis.

Aeger in hepatis regione quendam obtusum prementemque dolorem cum sensu gravitatis percipit 2). Hippocrates huius doloris mentionem fecit, dum dixit: in septima sectione suorum aphorismorum: ex diuturno partium circa ventrem dolore, suppuratio. Qui dolor cum aegrotus profundius inspirat, cum corpus movet, cum fortiori nisu utitur, acerbior esse solet. Anxietas aegrotum, praecipue si inspirat et morbus crescit, torquet, quod sanguinis per hepar circulatio perturbata, metusque aegroti quo dolorem imminentem

---

1) van Swieten Comment. Tom. II. §. 834. Vogels Handbuch d. pr. Arz. 4 Th. p. 357.

2) Bianch. hist. hep. p. III. p. 361. van Swieten. Comment. §. 935. p. 107.

atque ex inspiratione dum diaphragma non solum ab hepate sed etiam a pulmonibus premitur, orientem horret efficere mihi videntur. Aegrotus tantum ad dextrum latus cubare potest, quia cubitu ad sinistrum non solum stomachus sed etiam splen propter hepatis pondus valde premuntur et hoc modo dolor augetur. Urina cruda et iumentosa 1) interdum etiam nigra animadversa est. Haec vitiosa urinae qualitas ab elementis bilis corruptis effici videtur, dum aliquis liquor putridus cum consumta hepatis substantia mixtus in urinam transit. Excretio alvi difficilis, quandoque plane reprimitur praecipue si bilis excretio adeo perturbata est, ut nihil in duodenum manet; suppuratione autem iam praegressa tam vehemens interdum diarrhoea existit ut cum fluxu hepatico comparari possit 3), materia quae tum eliminatur, purulentae, sanguineae putridaeque indolis est, quae partim a sanguinis dissolutione, partim a pure duodenum effuso derivanda est. Praeter haec incommoda etiam perpetui flatus, mali ructus et saepe in corpore tumultus aegrotum invadunt, qui etiam maxima debilitate sitique singularibus doloribus, sensu ponderis et torporis praecipue in dextri lateris membris adprehenditur. Tussis sicca, frequens interdumque cum sputo catarr-

---

1) Conradi Path. ad. Therap. B. II. S. 446. Sprengel Path. B. 2. p. 365.

2) Hippocratis caac. proen. cap. 26. van Swieten Comment. Som. III. §. 936.

3) van Swieten. Comment. Tom. III. §. 937. p. 110.

hali coniuncta est. Cum supra nominatis signis, febris symptomatica coniuncta est, quae febris hectica appellatur difficiliusque suppurationis initio dignoscitur. Tunc aeger languorem et post cibum caloris augmentum sentit, qui calor magis in malis et pedum manuumque volis quam in aliis corporis partibus, imprimis una hora post cibum sumtum praetermissa temporeque vespertino animadvertitur. Pulsus paululum acceleratus est et febris, magis magisque adparet, duas exacerbationes facit, typumque remittentem habet, qui quidem ineunte febri minus observari potest, tempore autem procedente in typum continentem transit, quem etiam maior caloris gradus in facie, volis manuum pedumque plantis sequitur. Paulo post autem corpus sensim sensimque emacrescit, praesertim musculi faciei et digitorum, facies uno tempore circumscripto rubore tincta est, alio autem pallet. Cutis tensa et sicca: oculi annulo lividi inque flavum transeuntis coloris circumfusi sunt. Aegrotus praeterea morosus nec minus ad iram proclivis esse solet. Dum pus augetur etiam omnia symptomata crescunt, corpus magis macrescit, urinae prodeunt rubicundae, demittunt sedimentum mucosum et purulentum saepeque cuticula coerulea et oleosa urinae innatat. Deinde sudores colliquativi aegrum valde debilitantes accedunt, qui praecipue circa caput, collum, pectus, nec minus interius femoris latus animadvertuntur. Propter nocturnum aestum aegrotus inquiete dormit et matutino tempore maior debilitas est quam vespertino propter sudores colligativos. His vero morbus non solum augetur, sed etiam diarrhoea adiuncta in deterrimum statum adducitur,

quae sudorem quidem minuit corpori tamen maiorem languorem affert. Denique etiam corporis carnosae partes tabescunt, ossa ubique prominent, oculi cavantur, facies tota pallescit squalore obducitur, capilli defluunt, cutis arescit atque exasperatur, quibus rebus facies Hippocratica exsistit, quam mors saepe inopinata sequiturr.

Febris hectica autem non semper hac quae a me indicata est ratione se ostendit, sed varia pro variis puris eventibus apparet.

Suppurationis exitus

Exitus sedesque suppurationis varii sunt. Plurimi abscessus in dextro hepatis lobo versantur et Clarcius inter centum hepatis absessus tantum unum in sinistro lobo repererat, praeterea horum abscessuum longe maximam partem in virorum minimam, scilicet non amplius tres in mulierum corporibus se animadvertisse scribit.

Si abscessus in convexa hepatis parte versatur, pus plerumque diaphragma perrumpit, in pulmones transit| et phthisin pulmonum si hi dibilitate laborant. cum puris eiectione inducit 1). Fieri etiam potest ut pus in pulmonibus per metastasin secernatur, cuius

---

1) Morgagni epist. XXXVI. Art. 5. Tulpius observat. med. Tom. II.C. XXVII. Richter. chir. Bibl. B. 4 p. 153. Reils Fieberlelre B. 2. p. 657. Alexand. Monro in der Samlnng auserles. Abh. für pr. Aerz- B. 23. p 450.

rei multa exempla leguntur apud Morgagnium 2). Pus quod et pulmonibus eiicitur plerumque fuscum colorem, malum odorem et indolem acrem habere solet 3) Praeterea etiam fieri potest, ut pus diaphragmate rupto in cavum thoracis se effundat et empyema efficiat. Sic a Larrey inflammatio hepatis in suppurationem transgressa observata est, ubi pus sibi viam usque ad sextam costam fecerat, qua parte tumor oriebatur sed artis auxilio felicissime curabatur 4) Sin autem abscessus quod saepius fit, magis exteriorem hepatis partem occupavit, pus in abdominis cavum effundi, nequit, sed colluvies purulenta plerumque per cutem extrorsum prorumpit, 5) quia iam in primo stadio inflammationis exterior hepatis pars cum peritanaeo coalita erat. Hoc modo duritie quadam circumcinctus tumor in dextro corporis latere nascitur, qui autem non semper eodem sed variis locis adparere potest, cuiusque diversae abscessuum sedis mentionem faciunt 6). Eiusmodi tumor perfacile cum hydrope vesicae felleae, qui saepe ex antecedente hepatis inflammatione remanet, nec minus cum hydrope peritonaei confundi potest, ideoque necesse est, signa tumoris purulenti accura-

---

2) Vogels Handb. d. pr. A. B. 4. p. 362. Richters chir. Bibl. B 6 p 568 Richters chir. Bibl. B. 5. p. 174.

3) Hallers Beit. z. Bef. d. Gsch. u' Heilk B. 6. p. 47.

4) Morgagni de sedib. ib. et morb. caus. ep. p. 26.

5) Schenk observat. med. Tom. III. obs. 21. p. 756.

6) Klein interpret. clin. p. 129.
Richters chirur. Bibliothek. B. 6. p. 117. 118. 723.

tius hoc loco indicari. Plerumque hic tumor infra ultimam costam spuriam versatur, subito oritur, primo tempore durus magis sive minus dolens fervidusque est et in media parte fluctuationem, in marginibus autem quandam duritiem inflammatâm exhibet 1), sensim sensimque dispergitur et nunquam certis finibus includitur. Si fluctuatio augetur, etiam durities minuitur minoremque tumoris partem occupat 2). Hydrops vesicae felleae et peritonaci autem tardius exsistunt, in toto circuitu aequabiliter contrectantur, circumcisi sunt et totus tumor fluctuationem ostendit, nullum dolorem auctumque calorem habet; praeterea etiam symptomata inflammationis in suppurationem conversae desunt. Pus neque per diaphragma, neque per cutem extrorsum prorumpit, sed quia pars hepatis inflammata haud arctius cohaeret cum peritonaeo, facile intra viscera abdominalia effunditur; tunc abdomen tumescit, aegrotus de sensu quodam molesto quaeritur, vehementissimi sudores, animique deliquia oriuntur, nec raro simul pure effuso mors sequitur 3) vel etiam vehementes dolores in visceribus existunt, febris hectica augetur, viscera brevi tempore in gan-

1) D. F. Larrey in. d. Samml. auserl. Abh. f. pr. A. B. 21 p. 175.

2) Richters Therapie B. I. p. 530.

3) Hippocrates Aphorism. p. VII. 8. Morgagni epistol XXXVI. - 6.

Bianchi hist. hepat Tom. III. p. 361.

graenam transeunt et miserrima mors miserrimam vitam finit. 1)

Si hepar in inflammatione urgente cum colo dextro, aut transverso aut duodeno aut ventriculo aut aliqua intestini tenuis parte te coaluit, cuius rei mentionem faciunt multi auctores 2) fieri potest, ut pus sibi per hanc coalitionem viam faciat et deinde in tractum intestinorum se effundat. Quo facto, vehementes in abdomine dolores, alvus fusa, interdum nausea imo praeceps vomitus, anxietas, magna inquietudo, languor, sudores copiosi, animique deliquia oriuntur. Saepe etiam pus in intestinorum tractum sine hac coalitione erosioneque se effudisse animadversum est. Cuius rei non alia verior esse videtur explicatio nisi ea, qua pus vesicam felleam exisse et hoc modo in duodenum per ductum choledochum transiisse creditur. 3) Praeterea metastasis puris in renibus, cruribus et femoribus interdum observare licet 4).

---

1) Larrey Samml. f. pr. Arzt. B. 21. p. 179. Schenk observat med. B. III. obs. 19. p. 755.

2) Pontal u. Larrey in den Samml. auserles. Abhdl. f. pr. A. B. 23. p. 184. B. 21. p. 191. Isenflamm pr. Anmerkungen p. 266. Repert. med. u. chirur. Abh. B. 2. p. 301. Friedr. Plater observ. 454.

3) Vogels Hdb. d. pr. A. 4. St. p. 361. Sennerti op. tom. III. p. 547. Richters chir. Bibl. B. 5. p. 653.

4) Schenk obs. med. Libr. III. obs. 23 et 26.

Prognosis.

Phthisis hepaticae prognosis sede et exitu abscessus, puris indole et aegroti viribus continetur. Pus maturum, album, aequale et inodorum formari solet, si aegrotus adhuc viribus valet, dyscrasia corporis non laborat et omnes corporis functiones convenienter ante hepatis inflammationem efficiebantur; tunc feliciorem prognosin suscipere licet. Hoc modo autem necesse est, si eventum bonum expectare velis, ut abscessus aut in convexa hepatis parte sit, et pus pulmonum ope eiiciatur, aut abscessus coaluerit cum aliqua tractus intestinorum parte aut ducatur per ductum choledochum in duodenum, aut per cutem extrorsum prorumpat. Nam si abscessus in convexa hepatis parte cum diaphragmate coaluit et per hoc sicuti per pulmones pus prorupit, saepe fit, ut pus sine pulmonum offensione in aegroti salutem per exspuitionem emittatur. Sin autem pulmones irritatione ipsi aegrotant, ille morbus haud vitari potest, quem nominant medici phthisin pulmonum, qua ex re apparet, prognosin hic pessimam esse. Interdum etiam exitus secundus esse potest, si pus per ductum choledochum in duodenum manat, aegroto vires non desunt et haec a medico bene iuvantur. Qua ex re excretiones maximo cum levamine tam per superiora quam per inferiora contingunt.

Omnium felicissimus exitus aestimandus est, si abscessus cum peritanaeo dextri lateris coalitus est, tumor purulentus recte dignoscitur, aperitur et pus

auxilio chirurgico eiicitur. Puris multitudo hic permagna esse solet, sensim sensimque minuitur deinde plane evanescit et apertura clauditur. Nonnumquam etiam materies purulenta per vias urinarias eliminatur quae puris eliminatio torpore et gravitate circa lumborum regionem praesagitur. Hoc modo secundum Aretaei sententiam, de aegro non prorsus desperandum optimum enim, esse perhibet si per urinam morbus iudicetur. Sin autem aegrotus magna corporis debilitate laborat, si praecipue pus pravae indolis est, tunc secundum Hippocratis opinionem exitus non laudandus est, qui in aphorismorum sectione quinta: qui ex purulento, ait, iecore aduruntur, ii ubi pus purum fluxerit et album, supersunt, quod pus in tunica ipsis conclusum est, sin vero, qualis amurca, fluat, ii pereunt. Sic etiam Celsus in suo libro de re medica libro secundo capite primo: si in iecinore vomica est et ex ea fertur pus purum et album salus ei facilis: id enim malum in tunica est. Et alio loco in eodem libro capiteque: ex iecinore si pus cruentum exit, mortiferum est. Omnium infelicissimus exitus autem est, si pus intra abdominis viscera effunditur, hic aegroti salus non amplius speranda erit, isque ascite purulento interim orto, brevi tempore absumetur.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Ernestus Fridericus Leopoldus Siber die mensis Iunii 20 Anni 1794 Pritzwalkii Prignitiae oppido patre Friderico Carolo Benedicto Siber dioecesis Superintendente matreque dilecta e gente Knoevenagel natus sum. Ibi ad decimum quartum aetatis annum litterarum elementis a patre optimo nec minus a concionatore et Rectore Lietzmann gratissima memoria mihi prosequendo imbutus sum. Decimo quarto autem aetatis anno postquam pater meus dilectissimus supremum diem obierat, coactus sum, patris morte re familiari nostra valde minuta, medicinae scientiam, cui libentissimo animo me ipse addixeram, dimittere, et pharmaciae studio in quadam urbe Brunsvicensi operam navare. Praeterlapsis septem annis, Hamburgum me ad Pharmacopolam de me bene meritum, Schaumann contuli in cuius officina per biennium versatus sum

Anno 1817 tandem mihi contigit, ut Berolinum concederem, ubi Rectore huius Universitatis Cel. Link a. d.

XXIII mensis Iunii in numerum civium academicorum receptus, ab Ill. Hufeland tunc gratiosi medicorum ordinis Decano facultati medicae adscriptus sum. Quo ex tempore medicinae studiis operam dedi et hisce Celeberrimorum virorum lectionibus interfui: de osteologia, syndesmologia, splanchnologia et medicina forensi disputantem audivi Ill. Knape; de cryptogamologia, botanice et historia naturali Cel. Link; de logice Cel. Schad; de physice Cel. Errmann et Cel. Turte; de chemia Ill. Hermbstaedt; de zoologia Cel. Lichtenstein; de monstris Cel. Horkel. De encyclopaedia medica, anatomia universa, comparata et organorum sensuum nec minus de entozoorum historia et classificatione, de physiologia Ill. Rudolphi, cui etiam itemque Ill. Knape cadavera dissecandi artem debeo, qua me in theatro anatomico instruxerunt; praelectionibus de physiologia Ill. Koreff usus sum; doctrinam de fracturis et luxationibus, fasciarum applicandarum usum et scientiam, nec minus artem obstetriciam tam theoreticam quam practicam tradenten audivi Cel. Kluge; pathologiam generalem Exp. Boehr, thera piam generalem acutorum morborum et semioticem Cel. Fr. Hufeland; materiam medicam, fontesque medicatos Cel. Osann; pathologiam specialem Ill. Horn cuius institutionibus de cognoscendis et curandis morbis syphiliticis interfui; chirurgiam tam specialem quam generalem Cel. Rust, cuius praelectionibus de morbis syphiliticis etiam usus sum. Mesmerismum et artem formulas medicas concinnandi Cel. Wolfarth deinde de infantum morbis audivi praelectiones Cel. Richter. Therapiam morborum chronicorum Ill. Hufeland; pathologiam et therapiam mulierum morborum Ill. Berends me docuerunt. In ophthalmologia Ill. Geaefe et Cel. Wagner; in Akiurgia Ill. Graefe in operationibus ophthalmiatricis Exp. Iungken praeceptoribus gavisus sum.

Denique in arte medica exercenda in policlinico Ill. Hufeland nec minus in clinico Ill. Berends, in arte chirurgica autem Ill. Graefe ducibus usus sum.

Tentamine et examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione hac defensa, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.



THESES DEFENDENDAE.

I.

Caloris originem in corpore animali praecipue a respiratione dependere contendo.

II.

Vias urinae clandestinas vanam fictionem esse arbitror.

III.

Hydrargyrum muriaticum mite non est antiphlogisticum.